

QUAESTIO V.

De rerum mundanarum colligatione seu de nexu cosmico.

CONTINUATIO RERUM. Res mundanae a Deo ita conditae sunt, ut vera polleant virtute agendi, ideoque inter sese utro citroque agant et patiantur, earumque actiones semper ad determinatum et certum effectum producendum tendant, cum ipsae agant per formam naturalem, quae est ad unum determinata. Ex hac nobilissima doctrina, quam in superiori quaestione vindicavimus, immediate consequitur, res mundanas omnes esse inter se quibusdam nexibus ac vinculis unitas ac iugatas, ita ut licet varietate innumerabiles, natura diversae ac dispaes, confitent tamen unum aliquod systema, quod ad communem quandam finem a Deo ordinatum sit. Cum enim Deus operans per intellectum iuxta ideas exemplares in sua mente existentes, tot res specie ac natura differentes ex nihilo condiderit, omnia ad communem finem praedestinavit, veluti partes cuiusdam machinae mirabili artificio fabricatae, vel tamquam diversa organa corporis cuiusdam viventis, quae ad communem finem apte amiceque conspirent. « Universi partes, ait S. Thomas, inveniuntur ad invicem ordinate esse, quasi partes animalis in toto, quae sibi invicem deserviunt. Talis autem coordinatio plurimum non est, nisi unum aliquod intendat » (1).

Quocirca, explicatis hactenus causis intrinsecis et extrinsecis naturae, nempe causa materiali, formali, efficiente, et finali, restat ut ultimo loco aliquid attingamus de mundi unitate seu de nexu, quo adstrictae tenentur, et colligantur res mundanae ad unum aliquid efficiendum. Iam vero hic nexus vel haec ratio unitatis, cum non possit oriri a causis intrinsecis, ni velimus admittere res visibiles esse quid unum secundum essentiam, nempe dari in mundo unitatem substantiae, necessario asserendum est, unitatem hanc ortum ducere ex causis extrinsecis, nempe ex communitate actionis et passionis, quibus mutuo agunt et patiuntur inter se, et ex communitate finis. Quaestio itaque in duas partes a nobis distribuatur, et in prima rectam doctrinam exponemus, quae docet, existere in mundo veram unitatem ex mutua actione et passione et a communitate finis procedentem; in secunda vero refellemus falsas sententias eorum, qui volentes unitatem mundi explicare per causas intrinsecas, commenti sunt, in rebus visibilibus existere nexum quandam causatum vel a quibusdam *speciebus intermediis*, vel a quadam *unitate typi*.

(1) 2 Sent. Dist. 1, q. 1, a. 1.

ARTICULUS I.

DE UNITATE ORDINIS, QUAE VIGET IN MUNDO.

MULTITUDO ENTIIUM IN MUNDO. Mundus ita a Deo conditus fuit, ut constet infinitis pene rebus non solum numerali distinctione, sed etiam formali et specifica divisio. Hoc ita perspicuum est ex ipsa experientia et conspectu oculorum, ut cuiusque intellectus veritatem hanc sine ulla inquisitione percipiat ac cernat. Ratio autem tantae multitudinis diversitatisque rerum perbelle assignatur a S. Thoma, qui illam ex eo derivat, quod creaturae a Deo conditae ad infinitam suam bonitatem manifestandam, cum sint finitae et limitatae perfectionis, melius perfectiusque illam enarrant, si diversis naturis et consequenter diversis perfectionum gradibus quamdam divinae perfectionis similitudinem in se excipiant. En S. Doctoris verba: « Produxit res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis et per eas representandam. Et quia per unam creaturam sufficienter representari non potest, produxit multas creaturas et diversas, ut quod deest uni ad representandam divinam bonitatem, suppleatur ex alia. Nam bonitas quae in Deo est simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et divisim. Unde perfectius participat divinam bonitatem, et representat eam totum universum, quam alia quaecumque creatura » (1).

Iam vero ut multitudo creaturarum possit per diversos perfectionis gradus divinam manifestare veritatem, non sufficit ut res inter se dividantur per principia materialia, sicuti individua multiplicia unius eiusdemque speciei; sed earum differentia altius repetenda est, nempe a principiis formalibus et a diversis formis constituentibus diversas species, cum perfectio oriatur a forma et diversitas secundum formam constituat diversos perfectionis gradus: « Ex diversitate formarum, ait idem Aquinas, sumitur ratio ordinis rerum. Cum enim forma sit, secundum quam res habet esse, res autem secundum quod habet esse, accedat ad similitudinem Dei, qui est ipsum suum esse simplex, necesse est, quod forma nihil aliud sit, quam divina similitudo participata in rebus... similitudo autem ad unum simplex considerata, diversificari non potest, nisi secundum quod magis vel minus similitudo est propinqua vel remota. Quanto autem aliquid propinquius ad divinam similitudinem accedit, tanto perfectius est: unde in formis differentia esse non potest, nisi secundum quod una perfectior existit, quam alia... Hoc evidenter apparet naturas rerum speculanti. Inve-

(1) I p. q. 47, a. 1.

niet enim, si quis diligenter considerat, gradatim rerum diversitatem compleri, nam supra inanimata corpora inveniet plantas, et super has irrationabilia animalia, et super haec intellectuales substantias, et in singulis horum inveniet diversitatem, secundum quod quaedam sunt aliis perfectiora, in tantum quod ea, quae sunt suprema inferioris generis videntur propinqua superiori generi, et e converso; sicut animalia immobilia sunt similia plantis » (1).

Praecipui perfectionis gradus in mundo. S. Thomas plurimum SS. Patrum doctrinam sequutus distinguit quatuor praecipuos perfectionis gradus in mundo corporeo, nempe corpora inanima, plantas, animantia bruta, et homines. Ad primum pertinet esse, ad secundum vivere, ad tertium sentire, ad quartum intelligere seu ratiocinari. Tametsi hi gradus sint per essentiales differentias prorsus inter se divisi; nihilominus connectuntur, et propemodum continuantur per aliquas perfectiones, quae communes habent. Sic homo habet esse commune cum lapidibus, *vivere* cum plantis, *sentire* cum animalibus, *intelligere* cum Angelis. Iterum quoniam in eodem genere, seu in eodem gradu inveniuntur plures species, quarum una est perfectior altera, quilibet gradus per speciem perfectiorem cum superiori coniungitur, et per imperfectiorem necitur cum inferiori (2).

Quaestio circumscribitur. Inter res mundanas vigere profecto nequit unitas substantialis, quae ortum habet a causis intrinsicis, et ab esse indiviso, quod consequitur intrinseca rei constitutiva; nam in mundo existunt innumerae et differentes substantiae, quae inter se discriminantur per easdem causas per quas constituuntur, et efficiunt multiplices rerum species propriis essentialibusque differentis divisa. Quam ad rem merito inquirendum venit, utrum in mundo detur unitas quaedam accidentalis, et quenam illa sit. Unum enim per accidens illud dicitur, quod cum divisionem et multitudinem dicat, secundum aliquem respectum et habitudinem habet indivisionem et unitatem. Haec unitas et indivisio vigere potest in maxima entium varietate, quae secundum substantiam et esse divisa sunt: immo huiusmodi unitas, quae est secundum quandam communem respectum et habitudinem unius ad alterum, eo potior nobiliorque est, quo maiorem rerum multipliciter diversitatem devincit ac colligat. Dicitur unitas ordinis et colligationis, et producitur per causas efficientes et finales, nimirum per plurimum diversorumque entium mutuam actionem et passionem, et per finem quemdam pluribus communem. Res saepissime illustratur a S. Thoma exemplo cuiusdam civitatis vel exercitus, ubi unitas haec mutuae actionis et passionis et communis finis evidentiuss efflorescit. Duplex hic nexus, quo res omnes sociatae et

(1) *Contra gent.* lib. III. cap. XCVII; cf. in lib. *De causis*, lect. 4.

(2) Cf. S. THOM. in lib. *De causis*, lect. 30.

quodammodo iugatae tenentur, non inscite dicitur est nexus dynamicus et teleologicus, idest ex viribus agendi et patendi, atque ex communi fine causatus, quique unico nomine dici potest nexus cosmicus seu mundanus. Licet existentia istius unitatis in mundo deducatur immediate et evidenter ex rerum mundanarum activitate et finalitate; nihilominus ad melius referendos Materialistarum ac Fatalistarum errores, non erit inutile sub propria forma nobilissimam hanc veritatem sequenti propositione vindicare.

PROPOSITIO.

In mundo hoc visibili viget admirabilis unitas, quae ex communitate finis, et ex mutua actione et passione rerum exurgit.

Prob. prop. In mundo est admirabilis ordo in infinita rerum varietate. Atqui ordo inter res natura diversa efflorescere nequit, nisi per communitatem finis et per mutuam actionem et passionem. Ergo res omnes mundanae colligantur, et coniunguntur inter se nexu teleologico et dinamico.

Arg. evol. Ad intelligentiam argumenti notandum est, ordinem inter plura vigere non posse, nisi ea referantur ad communem aliquem finem, tamquam ad commune bonum universitatis, et sese mutuo adiuvent ad hoc commune bonum assequendum. Sic res mundanae sunt in maximo ordine, quia omnes referuntur ad Deum, tamquam ad commune bonum, et ad communem finem, ad quem tendunt, et sese mutuo adiuvent per actiones et passionem, quae constituunt fines peculiare cuiusque rei; et ita per assequitionem particularium bonorum seu finium, communem omnium finem consequuntur. Ergo res omnes sunt inter se connexae et consociatae tum communitate finis, tum mutua actione et passione, idest colligantur et ad unitatem evolvuntur nexu dinamico et teleologico.

Quare ordo generalis mundi efflorescit ex variis ordinibus particularibus, qui inter varia membra et mundi partes vigent; quod ita notatum fuit a S. Thoma: « Bonum in rebus surgit ex duplici ordine, quorum primus ordo est rerum omnium ad finem ultimum, qui Deus est: secundus ordo est unius rei ad aliam rem. Et primus ordo est causa secundi, quia secundus ordo est propter primum. Ex hoc enim, quod res sunt ordinatae ad invicem, iuvant se mutuo, ut ad finem ultimum debite ordinentur » (1). Haec duplex rerum ordinatio ad finem, sic illustratur ab eodem Aquinate per simile ductum ab ordine, qui viget in aliqua civitate vel familia: « Accipi potest duplicis ordinis consideratio. Quorum unus dependet ex prima omnium

(1) *Sent. Dist.* 47, q. 1, a. 4.

causa, unde et omnia complectitur; alius particularis, qui ex aliqua causa particulari dependet, et continet illa, quae causae illi subduntur: et hic quidem multiplex est secundum diversitatem causarum, quae inter creaturas inveniuntur; unus autem eorum ab altero continetur, sicut et causarum una sub altera existit. Unde oportet quod omnes particulares ordines sub illo generali ordine contineantur, et ab illo descendant, qui inveniuntur in rebus; secundum quod a prima causa dependent. Huiusmodi exemplum in politicis considerari potest; nam omnes domestici unius patrisfamilias ordinem quemdam ad invicem habent, secundum quod ei subduntur. Rursus autem tam ipse patrisfamilias, quam omnes alii, qui sunt suae civitatis, ordinem quemdam ad invicem habent, et ad principem civitatis, qui iterum cum omnibus, qui sunt in regno aliquem ordinem habet ad regem » (1).

Hanc doctrinam S. Thomas mutuatus est ab Aristotele, qui ut demonstrat, primum principium esse etiam ultimum finem et bonum totius universi, explicat ordinem, quem omnia habent ad Deum, et ordinem ac subordinationem, quam res habent inter se propter diversos perfectionis gradus, quos quaelibet res sibi vindicat. In re illustranda utitur Philosophus exemplo cuiusdam familiae sub auctoritate patrisfamilias constitutae, in qua sunt filii, servi, et animalia domestica. En eius verba: « Cuncta autem coordinata quodammodo sunt, verum non similiter et natantia, et volatilia, et plantae. Nec ita se habent, ut sit ullum alteri ad alterum, sed sunt ad quippiam: ad unum namque coordinata sunt omnia. Verum quemadmodum in domo liberis quidem minime licet quodcumque facere, sed ea omnia aut plurima, quae ordinata sunt: mancipiis vero et bestiis parum, quod ad commune conferat, sed ut plurimum quodcumque contingit: tale nempe principium cuiusque eorum, natura est: dico autem quod necesse est, omnia in mutuum quidem discrimen venire: et alia ita sunt communiter omnia conferentia ad universum servandum » (2). Memorata Philosophi verba sic enarrantur a Silvestro Mauro: « Addit Aristoteles, quod omnes mundi partes sunt invicem ordinatae, sed non similiter. Non enim eodem pacto ordinantur natantia, volatilia, et plantae in suis partibus, proprietatibus, et operationibus. Est tamen aliqua affinitas et proportio unius ad aliud. Sicut enim plantae sunt propter animalia, sic animalia propter hominem, et omnia propter primum motorem, ut explicit eius perfectionem et conformetur eius ideae. Quod vero res non sint similiter ordinatae, sed dentur varii gradus ordinationis patet exemplo domus. Domus est ordinata sub patrefamilias ponente ordinem in domo propter aliquem finem. At in domo sunt diversi gradus ordinatorum. In primo gradu sub

(1) *Contra gent.* lib. III, cap. XCVIII.(2) *Metaph.* lib. XII, text. 52.

patrefamilias sunt filii, qui habent omnes vel pene omnes actiones ordinatas ad finem, ita ut nihil illis relinquatur casuale, et non ordinatum. In secundo gradu sunt servi. In tertio animalia domestica. His vero pauciores actiones sunt ordinatae et in pluribus possunt operari casualiter. Sicut in domo cuncta sunt ordinata sub patrefamilias, ita in universo omnia entia sunt ordinata sub primo motore. Sicut patrefamilias ordinat omnia per suum praeceptum impositum domesticis a quo inclinantur ad operandum secundum ordinem, sic in universo omnia ordinantur a Deo per naturam et naturales instinctus, a quibus inclinantur ad operandum secundum ordinem » (1).

Epilogus. Omnia quae a nobis disputata sunt, sic possunt sub unico conspectu proponi. 1) Res omnes mundanae proprios et speciales sibi fines praestitutos habent. 2) Inter se nexu suorum finium agendo et patiendo ultro citroque colligantur. 3) Per specialium finium colligationem conferunt ad universalem finem, quem Deus in mundi molitione sibi proposuit. Ergo res omnes ex quibus mundus coagmentatur, inter se sociatae sunt nexu teleologico et dynamico. Quocirca sicut omnes res, quae diversae sunt secundum esse, et multiplices perfectionum gradus, originem ducunt ab unico principio et causa generali, quae agens per intellectum et voluntatem diversas naturas indidit rebus secundum diversas ideas exemplares ad quarum similitudinem cuncta perfecti; sic omnia tendunt ad unicum et universalem finem, quem propriis operationibus et passionibus, qui sunt fines peculiare cuiusque rei, consequi gestiunt.

Elegans S. Thomae testimonium. Antequam huic nobilissimae questioni imponamus finem, placet huc transferre praeclarum hunc S. Thomae locum, quo ordinem et unitatem rerum mundanarum graphice describit: « Considerandam est quod ex omnibus creaturis constituitur totum universum, sicut totum ex partibus. Si autem aliquis totius et partium eius velimus finem assignare, inveniemus primum quidem, quod singulae partes sunt propter suos actus, sicut oculus ad videndum: secundo vero quod pars ignobilior est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum: tertio vero omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut et materia propter formam; partes enim sunt quasi materia totius. Ulterius autem totus homo est propter aliquem finem extrinsecum, puta ut fruatur Deo. Sic igitur et in partibus universi unaquaeque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem. Secundo autem creaturae ignobiliores sunt propter nobiliores: sicut creaturae, quae sunt infra hominem, sunt propter hominem. Singulae autem creaturae sunt propter perfectionem totius

(1) Loc. max cit.: de Deo omnium fine, et de diverso modo, quo res in propriis fines ordinantur, conferri potest S. THOM. *Contra gent.* lib. III, cap. XVI, XVII, XVIII, XX, XXI, XXII.

universi. Ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem; in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repraesentatur ad gloriam Dei. Quamvis creaturae rationales speciali quodam modo supra hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione cognoscendo et amando » (1).

ARTICULUS II.

AN DENTUR IN MUNDO SPECIES AEQUIVOCAE SEU INTERMEDIAE.

QUAESTIO PROPONITUR. Cum in mundo conditae sint a Deo Artifice sapientissimo tot res natura ac essentialibus differentiis diversae, quae sunt imitationes et similitudines admodum imperfectae et dissimilares divinarum perfectionum, patet, in natura non posse existere, uti monuimus, nisi unitatem quamdam ordinis profectam a causa quadam rebus extrinseca, nempe a Deo, qui est unicum rerum omnium principium, ex quo omnia effecta sunt, et ultimus ac generalis finis, ad quem omnia tamquam ad commune bonum ordinata sunt. Iam vero doctrina haec, quae tradita ab Aristotele, manavit in SS. Patres, et in omnes Scholasticos Doctores, qui eam mirifice ac sapientissime illustrarunt, non placuit philosophis illis, qui adstruunt inter res mundanas intrinsecum quemdam essendi nexum, vel in Pantheismum penitus prolapsi sunt, vel saltem sententias a vera et christiana philosophia abhorrentes propugnarunt. Quocirca postquam veram doctrinam de unitate mundi vindicaverimus, non erit inutile quosdam recentium philosophorum in hac materia errores refellere.

Error Leibnitii. Relictis illis philosophis, qui diserte docent, res mundanas non distingui, nisi per accidentales differentias, cum una sit omnium substantia, in primis nobis occurrit Leibnitius, qui propugnat, omnes rerum visibilibus species coniungi inter sese, et continuari per species quasdam, quas ipse *aequivocas* vocat, eo quod cum ipsae collocatae sint inter duas species, participes sunt proprietatum sui differentiarum, quae ambas constituunt. Decernit enim memoratus philosophus, existere *zoophyta* seu *animalia-plantas*, et licet fateatur, non dari in nostro terrarum orbe speciem *aequivocam* inter brutum et hominem; nihilominus affirmat, illam non repugnare et posse in alio orbe existere. Leibnitianae huic opinioni adscripti sunt recentes nonnulli, nempe Kantius aliique Transcendentales in Germania, Giobertius in Italia, qui paulo secus hanc legem continuitatis enuntiat. Docet enim, inter duo opposita genera existere genus quoddam me-

(1) I p. q. 65, a. 2.

dium, in quo duo opposita identificantur: e. g. in substantia simplici identificatur substantia corporea et substantia spiritualis. Quid de huiusmodi doctrina censendum sit, sequenti propositione aperietur.

PROPOSITIO.

Lex continuitatis per species aequivocas a Leibnitio eiusque asseclis effecta, respondenda est tum uti falsa, tum ut perniciosis erroribus viam parans.

Prob. prop. Arg. r.^o ductum ex Metaphysica sic proponitur. Naturae illae seu essentiae adstrui nequeunt, quae coalescent ex notis, et proprietatibus inter se fronte adversa pugnantibus. Atqui ita se habent species aequivocae, quas adversarii obtrudunt. Ergo sunt falsae, et subvertunt prima principia rationis.

Arg. evol. Propositio minor sic manifestari potest. Species aequivoca si daretur, esset participes proprietatum, quae inveniuntur in duabus speciebus sub eodem genere comprehensis. Atqui tales species constant oppositis proprietatibus, nam genus determinatur ad species per oppositas differentias. Ergo species aequivoca constaret ex proprietatibus oppositis, quod pugnat cum primis principiis scientiarum. Et re vera, si daretur species media inter minerale et vegetale, haec substantia deberet simul esse vivens et non vivens. Iterum si darentur zoophyta seu animalia-plantae, tales substantiae essent simul participes et expertes virtutis sensitivae; quae omnia e diametro secum pugnant.

Apposite ad rem nostram haec habet Wilmius: « Abyssus naturam organicam ab inorganica, vegetabilia ab entibus sensibilibus, atque ens rationale a simplici animali seingit. Si qua continuitas daretur inter regnum minerale et vegetale, atque inter hoc et animale, oporteret in natura produci res, quae essent simul viventes et mortuae, sensusque simul praeditae et carentes. Nemo certe dubitat, quin homini sint quaedam cum belluis communia; sed ratio inter illum et istas discrimen statuit illo longe superius, quod lapidem a planta, aut plantam ab ente inanimato seingit » (1). Quibus ex verbis patet, species esse discretas et non continuas, easque rite ab Aristotele fuisse comparatas numeris, quibus nulla unitas addi potest, quin additionem mutatio speciei consequatur. Adversarii principii Cartesianae philosophiae imbuti, quae, spretis causis formalibus, ad solam materiam in rerum constitutione se recipit, confundunt indeterminationem et potentialitatem materiae cum determinatione et actualitate, quae procedit a forma. In materia quippe inveniri possunt indeterminate et

(1) WILM., *Hist. de la philosoph. allem.* part. 2, pag. 212-213.

potentialiter species oppositae, cum eadem materia possit esse in potentia ad habendas successive formas inanimatarum et viventium. Sed in materia actua per aliquam formam, et determinata ad aliquam speciem, non potest inveniri actu alia forma opposita, cum forma et actus receptus in subiecto illi constituat in specie, et illud ab aliis dividat.

Arg. 2.^{um} Si daretur continuitas specierum, admittendum esset, in rebus non vigere nisi unum perfectionis gradum, cum diversi gradus perfectionis oriantur a diversitate formarum et specierum; et consequenter propugnandum foret, unicum quoque dari esse omnium rerum, nam esse consequitur formam. Atqui haec omnia redolent quendam pantheismum. Ergo doctrina de specierum continuatione per species aequivocas non solum est falsa, sed etiam periculosa et lubrica.

Arg. evol. Siquidem cum in omni continuo sit unus essendi actus substantialis, nam continuum est ens per se et simpliciter unum, si species continuarentur et non essent discretæ inter se, non daretur nisi unica species et unicus essendi actus. Hinc omnis differentia specifica evanesceret, et consequenter diversitas individuorum; nam diversa individuatio diversum esse sibi vindicat, et esse diversum non recipitur nisi in diversis essentis, cum essentia sit id, secundum quod res habet esse. Ergo doctrina specierum aequivocarum, si verbis nativus et scientificus sensus relinquatur, ad quendam pantheismum materialisticum ducit, vel saltem rebus propriam substantialitatem auferit. Sublata autem a rebus propria natura et propria specie, tolleretur etiam propria operatio et proprius finis, actumque esset de sapientissima divinae providentiae dispositione, quae omnia per diversas operationes, quae a diversis naturis permanent, ad fines cuique rei congruentes ordinat ac dirigit (1).

Arg. 3.^{um} Ductum ex Physicorum experimentis, et auctoritate. Leibnitiuss eiusque asseclae docent, in omnibus speciebus dari species intermedias, licet nos lateant; nos ex adverso negamus, eas existere, cum in rebus facti veritas comprobanda sit experimento, extra quod vagari minime licet. Ceterum ipse Bonnetus, qui Leibnitio maxime studet, fatetur, inter regnum fossile et vegetale, transitum fieri ex abrupto, quia inter organicum, et inorganicum non datur medium. Ad transitum autem ex regno vegetali ad regnum animale quod pertinet, omnes fautores continuationis specierum in hoc conveniunt, quod polypus constituat anulum inter plantam et animal. At procul errant, nam polypus non est nisi animal, cum sentiat, manducet ac digerat, licet ob simplicissimam structuram organicam propius quam aliae belluae ad plantas accedat; et si per gemmas sese reproduct, hoc commune habet cum quibusdam animalibus, de quibus nemo du-

(1) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. III, cap. XCVII.

Diversus motus inorganicorum. Motus mechanico dicitur ille, qui procedit a principio omnino extrinseco ei quod movetur, et excludit a subiecto, in quo recipitur, omnem determinationem positivam et actualem etiam passivam ad talem motum. Huiusmodi motus quandoque dicitur violentus; tametsi motus violentus presse sumptus non solum excludit a subiecto, in quo recipitur, omnem determinationem ad talem motum, sed etiam includit oppositam inclinationem in mobili. Motus vero naturalis in corporibus inanitis quamvis conveniat in hoc cum mechanico et violento, quod movens ut quod in utroque sit extrinsecum mobili; nihilominus ab eo in hoc discriminatur, quod in motu naturali detur principium formale intrinsecum, seu ut quo inclinans ac determinans mobile ad motum; in motu autem mechanico hoc principium intrinsecum ei, quod movetur, minime reperitur. Nimirum motus naturalis inorganicorum licet efficiatur a movente externo; tamen resultat in mobili ex virtute in ipso impressa per formam seu naturam, quam naturalis inclinatio ad illum motum consequitur, et perseverat in mobili, etiam postquam cessaverit formaliter actio generativa. Hoc negare, idem esset ac subvertere ipsum naturae conceptum, quem ex Aristotele expressimus (1).

Motus vitalis et motus naturalis inorganicorum. Experientia compertum nobis est, oppositis omnino conditionibus moveri corpora inanima, etiam cum naturaliter moventur, et corpora viventia, cum motibus sibi propriis naturaliter feruntur. Nam corpora inorganica tum solummodo naturaliter cientur ad motum, cum sunt extra dispositionem suae naturae debitam ex naturalibus proprietatibus, nempe ex tali gravitate, densitate, raritate, elasticitate, ita ut naturaliter moventur ad illam dispositionem capessendam, si nondum eam adepti sint, vel ut eam recuperent, si ab ea iam acquisita, fuerint violenter turbata. Cum vero huiusmodi corpora debitam illam dispositionem nacta fuerint, tunc ab omni naturali motu quiescunt.

Verum enim in viventibus oppositum profecto contingere videmus; nam viventia praeter motus, quos communes habent cum inanitis, hoc sibi proprium vindicant, ut tunc quibusdam motibus moventur, cum debitam naturae suae dispositionem assequuta sint. Quocirca operationes vegetativae et sensitivae, quae constituunt proprios motus naturae viventis, tunc exercentur, cum vivens adeptum sit naturalem suam dispositionem, prout est vivens vegetativum et sensitivum; ita ut, quamdiu remanet extra illam dispositionem, non moveatur motibus illis propriis et eo magis ab illis recedat, quo magis abest a dispositione naturae suae debita; eo autem melius illas actiones exerceat, quo perfectius in naturali sua dispositione versatur. Sic animal, si non habet dispositionem sensitivae naturae debitam,

(1) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De ver.* q. 22, a. 1.

idest perfectionem organicam, praesentiam obiecti, ceteraque necessaria ad potentiam sensitivam complendam, actus sentiendi vel nullo pacto, vel admodum imperfecte exercet, et tandiu exercet operationes illas, quamdiu in dispositione illa perseverat. Doctrinam hanc sic paucis perstringit Aquinas noster: « Corporibus gravibus, et levibus non competit moveri, nisi secundum quod sunt extra dispositionem suae naturae, utpote cum sunt extra locum proprium. Cum enim sunt in loco proprio et naturali, quiescunt. Sed plantae et aliae res viventes moventur motu vitali, secundum hoc quod sunt in sua dispositione naturali, non autem in accedendo ad eam, vel in recedendo ab ea: imo secundum quod recedunt a tali motu, recedunt a naturali dispositione. Et praeterea corpora gravia et levia moventur a motore extrinseco, vel generante, qui dat formam, vel removente prohibens, ut dicitur (VIII *Physic.* text. 12). Et ita movent seipsa, sicut corpora viventia » (1).

Multiplex acceptio actionis. Actio seu productio effectus procedens ab aliquo supposito, potest sumi trifariam, vel *active* seu pro principio, vel *passive* seu pro termino, vel *formaliter* seu pro processione a principio ad terminum. Principium cuiusque actionis est duplex; aliud *quod*, seu denominationis vel attributionis, cui tribuitur denominatio agentis, et est suppositum agens; unde commune effatum: *Actiones sunt suppositorum*; aliud *quo*, seu actionis, cui convenit ipsum agere, et est virtus, per quam suppositum operatur. Hisce praenotatis, ad propositionem accedamus.

PROPOSITIO.

Corpora inorganica, quantumvis naturaliter moveantur, non possunt dici proprie movere seipsa, vel agere se ad motum. Ex differentia autem quae inter naturalem motum inorganicorum et motum vitalem intercedit, rite concluditur, rationem propriam et formalem entis viventis in eo esse, quod sit ens a natura comparatum ad movendum se.

Prob. 1.^a pars. Arg. 1.^{um} Corpora inanima, si in motu naturali agerent se ad motum, moverent seipsa aut secundum totum, aut secundum aliquam partem. Atqui neutrum affirmari potest. Ergo nullo pacto dici possunt movere seipsa.

Arg. evol. Propositio minor quoad primam partem repugnat ex probatis; remanet quod se moveant secundum aliquam sui partem, quod pariter concedi nequit. Nam partes istae vel essent integrantes, vel essentialia; non primum, cum partes integrales sint similes et eiusdem omnino rationis; non secundum, cum partes essentialia seorsum sumptae, esse nequeant causa efficiens alicuius effectus a seipsis

(1) 1 p. 9, l. 1 a. 2.

distincti. Forma quippe in compositis non se habet, ut *quod est*, et consequenter, ut quod secundum se agere possit; sed ut *quo* compositum est, et consequenter valeat operari. Concludendum ergo est, motus naturales inorganicorum, quos videmus, nulla nova actione mechanica per se influente, procedere a principio aliquo extrinseco quod determinat corpora illa ad motum; diversa tamen ratione ac actualis actio mechanica. Huiusmodi principium vel est ipsum generans, vel aliud agens physicum naturali activitate ornatum ad movenda illa corpora, quae videntur quasi sponte sua moveri. Siquidem naturalis aptitudo ad subeundam activitatem aliorum corporum, non importat meram indifferentiam ad motum recipiendum vel non recipiendum, quae requiritur etiam in motu mechanico; sed consistit in positiva proprietate, quae tamquam potentia naturaliter passiva coordinatur ad proprietatem positivam alterius corporis, tamquam ad potentiam naturaliter activam, a qua vicissim determinate respicitur; et sic dumtaxat explicari possunt motus naturales inorganicorum, quatenus discernuntur a violentis et mere mechanicis.

Arg. 2.^{um} Haec eadem veritas efficitur ex conditione motus inorganicorum, quatenus in ipsis motus haberi nequeat, nisi referatur ad vim motivam alterius subiecti primo et adaequate moventis, et sic proponitur. Corpus inorganicum naturali motu movetur, quando est extra dispositionem naturalem; et tandiu movetur, quamdiu necessarium est ad illam vel primo acquirendam, vel recuperandam; vicissim, cum illam recuperat, quiescit. Iam vero huiusmodi motus referri debet ad subiectum movens distinctum a corpore inorganico. Ergo: Si enim motus ille esset actio corporis inorganici, corpus eo melius ad illam operationem esset idoneum, quo magis inveniretur in dispositionibus naturae suae consentaneis, cum operatio consequatur esse. Sed contrarium contingere experimur; fas ergo erit concludere, motum illum pertinere ad principium generativum corporis, idest Deum, qui tribuendo corpori formam, simul imperitus est consequentia ad illam. Quam ad rem determinativum intrinsecum motionum quibus agitantur corpora inanima est aliqua naturalis proprietas consequens essentiam uniuscuiusque, puta determinata gravitas, elasticitas, densitas, quae sese habet ut principium *quo* proximum illorum motuum naturalium; cum principium *quo* remotum sit ipsa forma constitutiva naturae cuiusque corporis. Subiectum vero movens nullum aliud assignari potest, praeter ipsum generans, quod corpori tribuens talem formam, tribuit virtualiter proprietates, quae formam consequuntur, et motiones, quibus propter tales qualitates corpus agitatur.

Prob. 2.^a pars. Nimirum ex conditione propria operationis vitalis rite concludi, formalem rationem entis viventis constitui per hoc quod sit ens natura sua idoneum ad movendum se. Motiones cuius-

que viventis propriae ita fiunt in ipso, ut tribui nequeant actioni alterius subiecti, tamquam particularis moventis. Ergo formalis ratio viventis est ratio entis apti ad se movendum. Siquidem si motus illi tribuerentur actioni motivæ alterius subiecti, movens istud vel esset agens mechanicum, vel principium generativum viventis, quod dando viventi naturam, intelligeretur dare etiam vitales motus, ut aliquid consequens, sine quo ultima perfectio generationis minime concipitur. Iam vero neutrum dici potest; nam quod non sit agens mechanicum res est perspicua. Quod autem non possit esse principium generativum, sic probatur. Actio seu motio generantis extendi nequit ultra id, quod requiritur ad dandam generato dispositionem naturæ suæ per se debitam, ideoque ad motionem generativam nequit referri nisi motus, quo aliquid movetur, cum est extra dispositionem debitam suæ naturæ. Atqui motus viventium non fiunt, quando est extra talem dispositionem, sed viceversa. Ergo vitales motus proficiscuntur ab intrinseca activitate viventis, et non ab extrinseca motione generantis: vivens quippe tunc movetur motibus propriis, cum motio generantis ultimo obtinuit effectum suum, qui in eo consistit, quod tribuat generato dispositionem naturæ suæ per se debitam. Siquidem omnis causa habet effectum sibi proprium, ultra quem nequit extendere causalitatem suam; generans vero est causa, quæ ultimo et complete obtinet effectum suum ponendo generatum in dispositione naturæ suæ per se debita. Hoc fit per productionem formæ, per quam generatum est simile in natura generanti; producta forma, actio generativa cessat et formaliter et virtualiter.

Utraque pars propositionis sic potest unico concludi argumento. In corporibus inanibus subiectum eo minus movetur, quo est magis completum in sua natura. Ex adverso in viventibus subiectum eo magis movetur, quo magis completum est. Ergo movens inorganicorum non est *esse* subiecti; movens vero viventium, si moventur, ut viventia, est ipsum *esse* subiecti (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.º Motus naturalis inorganicorum nequit referri ad principium generans, si actio generativa iam cessavit. Atqui ita est. Ergo.

Resp. Dist. mai. Motus inorganicorum non potest referri ad generans, si actio generantis cessavit tum formaliter tum virtualiter, *Conc.* Si cessavit tantum formaliter, et durat virtualiter, *Neg. Contradist. min.* et *Neg. cons.*

Explicio. Motus inorganicorum, quando naturaliter moventur, semper est a generante, sive fiat in principio generationis, sive fiat

(1) Cf. SILV. MAURUM, *Quæst. phil. lib. IV, q. 22 ad 4.*

postea; nam licet actio generativa cessavit formaliter; nihilominus manet virtualiter, cum in generato permaneat forma ratione cuius corpori debetur determinata dispositio, quæ est complementum generationis. Generans in hoc casu non est causa causæ, sed causa immediata, quæ propria actione formaliter vel virtualiter, sed semper determinate producit motum; forma enim et proprietates naturales formam consequentes sunt principium quo illius motus. Contra in vivente generans est causa causæ, cum vivens sit principium quod producat actus vitales. « Generatum, ait S. Thomas, tandiu movetur a generante in gravibus, et levibus, quamdiu retinet formam sibi traditam a generante » (1).

Urgebis. Non videtur sufficere virtualis permanentia actionis generativæ. Nam movens et motum debent esse simul. Atqui ad hoc requiritur actualis coniunctio formæ cum generante, quod per ipsam movet. Ergo.

Resp. Neg. assumptum. Ad probationem, *Dist. mai.* Movens et motum debent esse simul initio motus, *Conc.* In toto decursu motus, *Neg.* Hoc discrete traditur ab Angelico Doctore, qui loco citato subiungit: « Oportet movens et motum esse simul, quantum ad principium motus, non autem quantum ad totum motum, ut apparet in projectis ».

Oppon. 2.º S. Thomas docet, dari in corporibus gravibus et levibus principium intrinsecum activum, a quo moventur. Iam vero si corpora habent in se activum principium sui motus, dicenda sunt movere seipsa. Ergo inorganica movent seipsa.

Resp. Dist. mai. S. Thomas docet, dari in inorganicis principium activum quod sui motus, *Neg.* Principium activum quo, *Conc. Contradist. min.*

Explicio. S. Thomas quandoque affirmat, in corporibus gravibus et levibus ad naturales motus esse principium intrinsecum activum, quandoque docet, esse tantum principium passivum motus in ipsis, non vero activum (2). Hæc apprensus contradictio tollitur, si animadvertimus, principium activum apud philosophos quandoque sumi pro principio formali; sive hoc principium formale tale sit, ratione cuius aliquid procedit ab aliquo sine huius actione proprie dicta; sive sit principium ratione cuius aliquid est operans actione proprie dicta; quandoque principium activum sumitur pro subiecto actionem efficiente. Cum autem passivum oppositionem dicere possit tum ad formam, tum ad agens; activum quandoque opponitur mere possibilitati seu potentiae, quæ excludit omnem determinationem ad unum, quandoque oppo-

(1) QQ. DD. *De pot. q. 3, a. 11 ad 5.*

(2) QQ. DD. *De pot. q. 5, a. 5, ait: « Habet huiusmodi motus in mobili principium non solum materiale et receptivum, sed etiam formale et activum ».*

nitur ei quod est subiectum mobile, et non agens seu movens. Quocirca S. Thomas docet, in corporibus naturaliter motis dari principium activum formale motus, idest formam, qua ad motus determinantur, non autem dari principium activum movens. Sic anima humana dici nequit principium activum *ut quod*, neque principium passivum suarum potentiarum, sed omnino dicenda est principium activum formale seu *ut quo*. Audi S. Thomam: « In motu corporum simplicium quamvis forma naturalis sit principium motus; non tamen est motor, sed essentialis motor est generans, qui dedit formam, et accidentalis est removens prohibens » (1). Iuxta ergo S. Thomam in motu naturali inorganicorum datur principium intrinsecum formale seu *ut quo*, non vero principium activum *ut quod*; et ob oppositam rationem in tali motu admittendum principium passivum *ut quod*, non vero *ut quo*.

Oppon. 3.^o Contra secundam partem propositionis. Motus naturales proprii viventium videntur posse referri ad generans, tamquam ad motorem. Nam ratio cur generans dicitur movere corpora inorganica, est quia motus naturales consequuntur determinationem naturae impressam a generante, hoc ipso quod corpori dedit talem formam. Atqui hoc idem affirmari potest de motu naturali viventium. Ergo.

Resp. *Neg. assumptum*. Ad rationem additam, *Neg. paritatem*. Disparitas exurgit ex eo quod, ut vidimus, motus inorganicorum naturales fiunt ante adptionem debitae dispositionis, et motus vitales fiunt post debitam naturae dispositionem. Ex hac differentia sequitur, motus naturales inorganicorum esse determinatos ad unum immediate ad illam dispositionem. Hinc tales motus non praesupponunt in corporibus, in quibus fiunt, potentiam activam, quae illos ex se eliciat, cum potentia activa, quae est principium proximum agendi, praesupponat complementum essendi, nempe debitam dispositionem naturae. Accedit quod ubi natura est per se determinata ad actum, non datur locus potentiae, quae est aptitudo ad actum efficiendum. Contra cum motus vitales fiunt, nihil obstat, quominus ipsi repeti proxime possint a potentia activa viventis; immo ab ea repeti debent, nam terminus ad quem feruntur viventia in suis motibus, non est amplius unus terminus determinatus; sed est alius, et alius omnino oppositus; nam viventia naturali sua potentia activa apta sunt se movere ad diversa, seu operari circa opposita intra speciem sui obiecti formalis. Natura enim est in indivisibili; unde generans dat formam determinativam ad unum. Hinc si motus non est ad unum, signum est quod movens non movet immediate; sed mediate, dans generato principium et virtutem activam, per quam se movet. Aristoteles confirmat vegetalia vivere eo quod: « Videntur in seipsis habere poten-

(1) In 2 *Scot.* Dist. 14, q. 1, a. 3; cf. *Contra gent.* lib. III, cap. XXIII.

tiam et principium huiusmodi per quod augmentum et decrementum suscipiunt secundum contraria loca: non enim sursum augentur, deorsum vero non; sed similiter in utramque et in omnem partem aluntur, et vivunt semper quousque accipiunt alimentum » (1).

ARTICULUS III.

DE DIVERSIS VITAE GRADIBUS.

QUAESTIO PROPONITUR. Cum vita in suo generalissimo conceptu denotet aptitudinem ad immanentem operationem, perspicuum est, entia viventia eo perfectionem vitae gradum sibi vindicare, quo actiones immanentes perfectius efficere valeant. Iam vero actio immanens, quae procedit a principio intrinseco, et perficitur ac permanet in subiecto a quo promanant, spectari potest vel ex parte principii, vel ex parte termini. Iuxta utramque considerationem in viventibus animatis, quae visibilem mundum exornant, tres efflorescunt vitae gradus formalibus rationibus inter se divisus, uti ex sequenti propositione patebit.

PROPOSITIO.

In viventibus animatis, triplex admittendus est vitae gradus formaliter diversus, nimirum vegetativus, sensitivus, et intellectivus (2).

Prob. prop. Arg. 1.^{um} Vitalitas seu immanentia operationis in eo consistit, quod actio procedat a principio intrinseco et terminetur in eodem subiecto, ideoque ratio movendi se potest sub duplici respectu considerari, vel principiative, prout importat principium productivum motus intrinsecum ei quod movetur; vel terminative, prout dicit ipsius motus terminum intrinsecum ei quod movet. Atqui sub utroque respectu operatio intellectualis praestat actioni sensitivae, atque haec operationem vegetativam anteverit. Ergo in viventibus animatis infimus vitae gradus est vegetativum, iuxta illud S. Dionysii: « Plantae secundum ultimam resonantiam vitae habent vivere » (3). Medius vitae gradus spectat ad animalia irrationalia. Supremus ad hominem seu ad viventem intellectivum.

Arg. evol. Propositio minor probatur singillatim secundum utrumque respectum, sub quo considerari potest actio quaelibet immanens. Et quoad primum respectum, principium motus vel operationis tria

(1) *De Anima*, lib. II, text. 14.

(2) Cf. S. *Тном.* 1 p. q. 18, a. 3; *Contra gent.* lib. IV, cap. XI.

(3) *De divinis nominibus*, cap. VI.

complectitur; nimirum finem, formam, executionem; quorum finis est principium magis remotum, forma est principium minus remotum, executio est principium proximum. Iam vero in viventibus vegetabilibus solummodo executio motus vel operationis ab ipsis dependet, cum sit a movente intrinseco; forma vero et finis ab ipsis minime dependet, cum imponantur et determinantur a natura. In animalibus brutis tum executio, tum forma ab ipsis dependet; nam acquirunt formas per cognitionem, et a forma intentionali moventur in agendo; finis vero a natura est ipsis determinatus. In homine demum operatio seu motus ab ipso dependet et quoad executionem, et quoad formam, et quoad finem. Aliis verbis. Ratio moventis se eo perfectior est, quo causativa motus sunt magis intrinseca ei quod movetur. Atqui ex tribus, quae motum causant, unum est intrinsecum, et duo extrinseca viventibus vegetativis; duo sunt intrinseca, et unum est extrinsecum viventibus sensitivis; cuncta sunt intrinseca viventibus intellectivis. Ergo spectatis tribus diversis rationibus formalibus, iuxta quas motus vel operatio causatur, vita intellectiva perfectior est sensitiva, et haec praestat vegetativae (1).

Quod si actio immanens spectetur ex parte termini, etiam triplex vitae gradus efflorescit. In plantis enim, tametsi operatio remaneat in subiecto; tamen non recipitur in eadem potentia operativa, neque in eadem parte organica, ex qua procedit operatio: hoc magis elucescet, si speciatim considerentur functiones vegetalium, quae sunt nutritio, augmentum, generatio seu fructificatio. In animalibus operatio sensitiva informat potentiam, a qua procedit in eaque remanet; verum non residet in simplici principio vitali, sed in quodam composito, nempe in organo animato, ad quod sensatio pertinet. In homine demum operatio intellectiva tota quanta est, remanet in simplici principio et facultate, a qua procedit; nam actus intelligendi exercetur sine ullo concursu organi corporalis. Hinc eadem facultas, a qua dimanat operatio, actuatur illa actione sine participatione alicuius entis distincti a principio, a quo fundamentaliter procedit. Ergo etiam iuxta alium immanentis operationis respectum, tres sunt vitae gradus specie inter se diversi, quorum primus vel supremus est intellectivus, medius est sensitivus, et infimus est vegetativus.

Arg. 2.^{um} Efficci potest cum S. Thoma coniungendo simul considerationem tum principii, tum termini vitalis operationis. Doctrina S. Doctoris sic breviter proponi potest. Emanatio generatim est processio, qua unum ex altero educitur et quasi exprimitur. Alia est emanatio vitalis, alia non vitalis. Emanatio non vitalis habetur, quando operans exprimit aliquid extra se: vitalis vero, cum agens ex aliquo sibi intrinseco exprimit aliquid intra se. Vitalis emanationis

(1) Cf. S. THOM. 1 p. q. 18, a. 3.

sunt tres gradus, secundum quod tum id, ex quo aliquid exprimitur, tum id, quod ex aliquo exprimitur, sunt magis intima operanti. Iam vero principium, ex quo vivens natum est aliquid intra se exprimere, est magis intimum sentienti, quam vegetanti, et magis intimum intelligenti, quam sentienti; rursus quoniam id quod a vegetante intra se exprimitur, tandem separatur a vegetante, sic ipsi est minus intimum, quam sit intimum cognoscenti id, quod ab ipso exprimitur. Iterum quoniam sensus numquam exprimit seipsum, sed aliquid a se distinctum, cum non sit reflexivus; ex adverso intellectus exprimit intentionaliter etiam seipsum, cum sit reflexivus; ideo id quod ab intellectu exprimitur, est magis intimum, quam id quod exprimitur a sensu. Vita ergo sensitiva est perfectior vegetativa, et vita intellectiva praestat sensitivae (1).

Arg. 3.^{um} Ducitur ex diversa amplitudine obiecti operationis vitalis pro quolibet vitae gradu, et sic paucis potest efformari. Vitalis operatio eo nobiliorem vitae gradum in vivente patefacit, quo ad universalis obiectum se extendit. Atqui obiectum operationis vitae intellectivae, nempe omne ens, est universalis obiecto operationis sensitivae, quod est omne corpus sensibile, et obiectum actionis sensitivae universalis est obiecto operationis vegetativae, quae versatur tantum circa corpus viventi coniunctum. Ergo gradus vitae intellectivae praestantior est gradu vitae sensitivae, et hic antecedit gradum vitae vegetativae. Rem ita explicat Aquinas: « Obiectum operationis animae (nempe principii vitalis) in triplici ordine potest considerari. Alicuius enim potentiae animae obiectum est solum corpus animae unitum; et hoc genus potentialium animae dicitur vegetativum. Non enim vegetativa potentia agit, nisi in corpus cui anima unitur. Est autem aliud genus potentialium animae, quod respicit adhuc universalis obiectum, scilicet omne corpus sensibile, et non solum corpus animae unitum. Est autem aliud genus potentialium animae, quod respicit adhuc universalis obiectum, scilicet non solum corpus sensibile, sed universaliter omne ens » (2).

ARTICULUS IV.

DE TRIPlici GRADU VITAE INTELLECTIVAE.

CONTINUATIO RERUM. Explicatis diversis vitae gradibus, quibus pollent viventia animata, non abs re erit aliam comparisonem hic instituire inter varios gradus vitae intellectivae, qui resurgunt in

(1) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. IV, cap. XI.

(2) 1 p. q. 78, a. 1.

diversis substantiis spiritualibus. Qua in re planum est, animam humanam infimum locum sibi vindicare, cum sit in infimo gradu formarum substantiarum et immaterialium; medium locum pertinere ad Angelos, qui sunt formae complete subsistentes, et a materia prorsus remotae; supremum denique et infinitae perfectionis gradum Deo glorioso tribuendum esse, qui cum sit ipsum *esse* subsistens et actus purissimus, non solum vitaliter agit modo perfectissimo; sed etiam eius actio non differt quicquam ab eius substantia, ideoque non solum vivens, sed et ipsa vita nominandus est.

Creaturae comparantur cum Deo. Et primo quidem in creaturis non solum operatio, sed et ipsa facultas operativa realiter distinguitur ab essentia operantis; in Deo autem actus et virtus agendi unum idemque sunt cum suo purissimo actu essendi; ac propterea in Deo operationis immanentia et intimitas infinitum attingit perfectionis gradum. Idem sane dicendum, si operatio spectetur ex parte principii, ex quo procedit. Cum enim vita in eo sit, quod agens a se operetur et non motus ab alio, ibi perfectior est vita, ubi hoc melius invenitur: « Cum vivere, ait S. Thomas, dicantur aliqua secundum quod operantur ex seipsis, et non quasi ab aliis mota; quanto perfectius competit hoc alicui, tanto perfectius in eo invenitur vita » (1). Iam vero licet creatura rationalis sibi proponat finem peculiarem operationis; finis tamen ultimus ab ipsa natura est ei constitutus. Iterum, tametsi creatura virtute propria operetur; tamen et esse substantiale a quo operatio procedit ab extrinseca causa ei datum fuit, et ipsa operatio causae particularis, seu creaturae effici minime potest sine actione et motione Causae universalis et primae. Ergo creatura licet nobilissima, cum se ad agendum movet, hoc minime praestare potest omnino independentem ab aliquo extrinseco motore, idest a Deo; idcirco a perfecto vitae gradu essentialiter deficit. Deus autem, cum sit omnino independens in essendo, et in operando; sit actus purissimus et sua ipse actio, perfectissimam moventis se rationem sibi vindicat. Hinc prosequitur Aquinas: « Illud igitur, cuius sua natura est ipsum eius intelligere, et cui id, quod naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitae. Tale autem est Deus; unde in Deo maxime est vita. Unde Philosophus (XII *Metaph.* text. 5), ostenso quod Deus sit intelligens, concludit quod habeat vitam perfectissimam et sempiternam, quia intellectus eius est perfectissimus et semper in actu » (2).

Triplex gradus vitae intellectivae comparatur. Doctrina proxime explicata magis ac magis elucescit, si singillatim conferamus vitam intellectivam animae humanae cum vita intellectiva Angelorum,

(1) 1 p. q. 18, a. 3.

(2) S. THOM. loc. cit.

et utramque cum vita intellectiva Dei. Hoc ductu S. Thomae efficiemus et quae ab ipso tradita sunt, ad haec capita revocabimus. 1) Intimitas emanationis, quae habetur in actu intelligentis seipsam, est minima in anima humana ex parte principii; nam licet anima hominis seipsam cognoscere possit; tamen initium suae cognitionis sumit ab extrinseco; idque infertur ex necessitate phantasmatum; nam anima non cognoscit se immediate per essentiam, sed solum per actus suos. Actus vero substantiae intellectivae corpori coniunctae versantur immediate circa quidditatem rei materialis, quae apprehenditur per abstractionem a phantasmate. Hinc anima nihil cognoscit, neque seipsam, nisi sumendo initium ab aliquo extrinseco, idest a phantasmate, et a cognitione sensitiva. 2) Intimitas quae habetur per cognitionem seipsius est maior in Angelo, quia non ducit initium ab aliquo extrinseco, sed ex ipsa essentia Angeli, quae ipsi est inseparabiliter praesens, et ad sui cognitionem immediate determinat intellectum angelicum. 3) Intimitas quae habetur per cognitionem seipsius in Deo, est maxima; quia non solum Deus determinatur a sua essentia ad se cognoscendum; sed essentia divina, intellectus, et actio intelligendi sunt unum idemque.

Quod si actio intellectiva consideretur ex parte termini emanationis, qui terminus est intentio intellecta, seu alio nomine *verbum*, quod intelligens sese intelligendo intra se exprimit, et quodammodo dicit, idem ordo in gradibus perfectionisprehenditur in anima humana, in Angelis, et in Deo. Siquidem terminus hic emanationis intimior est in Angelis, quam in anima, cum in Angelis verbum referat seu dicat essentiam Angeli immediate et secundum se cognitam (1); in anima vero non refert ac dicit essentiam animae immediate et secundum se cognitam; sed secundum quod exhibetur per aliquid a se distinctum, cum anima non cognoscat immediate seipsam, sed mediante actu, qui est eius accidens; ideoque sese exprimit in ratione subiecti, cuius est talis affectio accidentalis. Denique hic terminus emanationis in Deo est maxime intimior, non vero in Angelis; nam in Deo intentio intellecta seu verbum est idem cum essentia; in Angelis vero est aliquid accidentale realiter distinctum a substantia, cum intelligere in Angelis fiat per potentiam ab essentia distinctam.

Doctrinam mox enodatam sic luculenter prosequitur Aquinas noster: « In intellectuali vita diversi gradus inveniuntur; nam intellectus humanus etsi seipsam cognoscere possit; tamen primum suae cognitionis initium ab extrinseco sumit, quia non est intelligere sine phantasmate. Perfectior igitur est intellectualis vita in Angelis, in quibus intellectus ad sui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori, sed per se cognoscit seipsam; nondum tamen ad ultimam perfectio-

(1) Cf. S. THOM. 1 p. q. 54, a. 2 et 3.

nem vitae ipsorum pertingit; quia, licet intentio intellecta sit eis omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, quia non est idem in eis intelligere, et esse. Ultima igitur perfectio vitae competit Deo, in quo non est aliud intelligere, et aliud esse; et ita oportet, quod intentio intellecta in Deo sit ipsa divina essentia. Dico autem intentionem intellectam id, quod intellectus in seipso concipit de re intellecta; quae quidem in nobis neque est ipsa res, quae intelligitur, neque est ipsa substantia intellectus; sed est quaedam similitudo concepta intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant; unde et ipsa intentio verbum interius nominatur, quod est exteriori verbo significatum » (1).

SCHOLION I. Quomodo in vivente intellectivo creato dentur duae partes, quarum una est movens, altera est mota. Si quis naturam cognitionis acute considerat, profecto intelligit, in facultate cognoscitiva intellectus creandi distinguendam esse duplicem potentialitatem. Etenim ad cognitionem requiritur in primis determinatio facultatis ex parte objecti; quae ex determinatione cognitio non perficitur, sed solum compleitur potentia in ordine ad actus cognitionis eliciendos. Quocirca in facultate cognoscitiva praeter aptitudinem actuabilem per formam intelligibilem, quae est principium cognitionis, admittenda est necessario altera aptitudo, secundum quam actuari possit formali actu cognitionis a se efficiendae. Quando prior potentialitas completa est per receptionem speciei, facultas est adhuc in potentia secundum posteriorem aptitudinem; et sic per id, secundum quod est in actu, est movens, et per id, secundum quod adhuc est in potentia, est mota. Duplex memorata potentialitas tribuenda est non solum intellectui humano, sed etiam intellectui Angelorum. Nam Angelus cognoscens se per suam essentiam, ab ea actuatur tamquam per formam, quae est principium cognitionis; et sic elicit formalem actum cognitionis, seu producit verbum, quo exprimit seipsum, actuando aliam potentialitatem, cuius est compleri per formalem conceptum; licet in Angelo haec duplex potentialitas sit semper completa. Ad rem S. Thomas: « Essentia Angeli est in eius intellectu, ut intelligibile in intelligente; intellectus autem in essentia, ut potentia in substantia » (2). Attamen intellectus Angeli non est in potentia respectu essentiae eius, sed respectu eius semper est actu. Quam ad rem cum ratio viventis seu moventis se duo complectatur, videlicet immanentiam operationis et dependentiam a motore extrinseco, quorum primum perfectionem, secundum vero imperfectionem importet: in Deo, qui est actus purus, invenitur vita dumtaxat secun-

(1) *Contra gent.* lib. IV, cap. XI.

(2) *QQ. DD. De ver.* q. 8, a. 6 ad 6.

dum quod dicit perfectionem nulli imperfectioni obnoxiam, ideoque in Deo duplex illa aptitudo reperiri non potest.

Ex proposita doctrina efflorescit pulchra comparatio inter virtutem intellectivam Dei, Angeli, et hominis. In Deo virtus intelligendi idem est cum essentia, quia intelligere idem est ac esse. Est ergo semper in actu sese intelligendi, qui actus est necessarius, sicut essentia et esse. Etiam necessario intelligit alia a se, quia Eius essentia est ratio ac forma, per quam cetera intelligit. Potentia intellectiva in Angelo realiter distinguitur ab eius essentia; hinc intellectio et *esse* sunt actus realiter distincti; *esse* quippe est actus essentiae, intelligere est actus intellectivae virtutis. Sicut ergo *esse* Angeli distinguitur realiter ab essentia in qua recipitur, sic intelligere distinguitur realiter a potentia intellectiva, in qua recipitur. Verum essentia Angeli recipit esse ab extrinseco, nempe a Deo, unde essentia se habet ad proprium actum, ut potentia receptiva, non productiva. At virtus intellectiva adaequata sumpta se habet ad proprium actum, tum ut receptiva, tum ut productiva; et cum non possit esse productiva et receptiva secundum idem, in ea distinguenda est duplex aptitudo, uti monuimus (1).

Denique intellectus hominis, qui infimum locum occupat, hoc habet proprium, quod eius aptitudo ad formas intelligibiles recipiendas, non est ante operationem sensitivam obiective coniuncta illi formae intelligibili. Quare anima humana independentem a sensibus non habet in se ullam determinationem ad aliquid actu intelligendum. Intellectio itaque hominis non solum est actus distinctus a virtute, a qua producitur, et in qua recipitur, sed importat realem mutationem de potentia in actum.

Hinc ea quae in vivente significant perfectionem, in virtute intellectiva Dei vigent in gradu supremo; in virtute intellectiva Angeli medium attingunt; infimum vero in virtute intellectiva hominis. Ex adverso quae potentialitatem seu imperfectionem prae se ferunt, minus habentur in Angelo, quam in homine, nullo autem pacto in Deo. Nam in virtute intellectiva hominis et datur potentialitas, per quam actus distinguitur a virtute in qua recipitur; virtus distinguitur ab essentia; et datur insuper realis mutatio facultatis de non actu in actum. In Angelo datur distinctio actus a facultate, et distinctio virtutis ab essentia, minime vero realis mutatio de non actu in actum. In Deo denique nulla invenitur potentialitas neque mutabilitas; sed cum sit actus purus, absolutam necessitatem tum essendi tum intelligendi sibi vindicat.

SCHOLION II. Quae facta sunt, in Deo vita sunt. Ad huius doctrinae complementum inquiri potest cum S. Thoma, utrum omnia,

(1) De speciebus, quibus Angelus intelligit alia a se, cf. S. THOM. I p. q. 58, a. 1.

quae facta sunt, in Deo sint vita. Cui quaestioni affirmative respondemus, utentes hoc S. Doctoris argumento. Vivere in Deo est eius intelligere; insuper intellectio, intellectus, et quod intelligitur sunt unum idemque. Ergo quidquid est in Deo, ut intellectum, est ipsum vivere vel vita eius. Atqui omnia quae facta sunt a Deo, sunt in Ipso, ut intellecta. Ergo omnia in Deo sunt ipsa vita divina. Ut hoc argumentum melius percipiatur, adnotandum est, creaturas esse in Deo dupliciter. 1) In quantum continentur et conservantur virtute divina; et hoc sensu creaturae dicuntur esse in Deo, prout sunt in propriis naturis. 2) Dicuntur res esse in Deo, sicut in cognoscente; et sic sunt in Deo per proprias rationes, quae non sunt in Deo aliud a divina essentia. Unde res prout hoc modo sunt in Deo, sunt divina essentia, et sicut divina essentia est vita, ita et res quoque vita dici possunt (1). Doctrina haec iampridem explicata fuerat per belle a S. Augustino, qui ad rem nostram ita disserit: «Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam; si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quae videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere; numquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, et illa manet, quae in arte est: nam potest illa arca putrescere, et iterum ex illa, quae in arte est, alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est; quia vivit anima artificis ubi sunt ista omnia, antequam proferantur. Sic ergo, fratres carissimi, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quae fiunt per ipsam artem non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in arte terra; caelum vides, est in arte caelum; solem et lunam vides, sunt et ista in arte; sed foris corpora sunt, in arte vita sunt» (2).

(1) Cf. S. THOM. I p. q. 18, a. 4; *QQ. DD. De ver. q. 4, a. 8.*

(2) In *Evang. Joan. tract. I, n. 7.*

QUAESTIO II.

De viventibus vegetativis et sensitivis.

CONTINUATIO RERUM. Ex rebus, quae apud nos manifeste vivunt auspiciati, exploravimus generalem definitionem vitae, eamque applicavimus tum corporibus, tum spiritibus, tum Deo glorioso, in quo ratio vitae est infinite perfecta; nam eius esse, vivere, operari ita constituuntur per eundem purissimum et subsistentem actum, ut non solum vivens, sed ipsa vita Deus vere praedicetur. Verum enim in ipsis substantiis compositis ex materia et forma deprehendimus triplicem existere viventium seu animatorum corporum gradum; nimirum eorum, quae vita dumtaxat vegetativa pollent, et vocantur simpliciter viventia, vel plantae; deinde eorum, quae simul cum vegetabili gaudent etiam vita sensitiva, et nuncupantur animalia bruta; denique eorum, quae duobus memoratis vitae gradibus alium longe excellentiorem addunt, qui in vita intellectiva consistit, et appellantur animalia rationalia seu homines. Huiusmodi viventia merito perhibentur esse in confinio substantiarum visibilium et invisibilium; nam habent esse commune cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Quocirca in hoc tractatu, qui est de viventibus visibilibus, nihil speciatim dicemus de homine seu de vivente rationali, cum haec materia constituat subiectum alterius partis Philosophiae naturalis, nempe Anthropologiae; de vita sensitiva, quae pertinet ad ordinem cognitionis et intentionis, et in homine specialem connexionem habet cum cognitione intellectiva, pauca admodum hic attingemus, ne actum agere in posterum cogamur: de viventibus vero vegetativis uberius et dedita opera disseremus.

ARTICULUS I.

DE PLACITIS PHILOSOPHORUM CIRCA NATURAM VEGETALIIUM.

DUPLEX PHILOSOPHORUM GENUS. Non solum inter recentes, verum etiam inter antiquos philosophos variae de natura vegetabilium ultro citroque propugnatae fuerunt opiniones, quae ad duas classes commode reduci possunt. Quidam enim plantis attribuunt vitam, operationesque vitales specie differentes ab operationibus corporum inorganicorum: contra alii denegant, plantas esse corpora animata et viventia, et consequenter timent, operationes vegetabilium